444

K

192

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 K 192

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 K 192

504
13/388
KW
444 K 192

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 K 192

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 K 192

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 K 192

DRACO VULGATUS
Fabula

Carmine Elegiaco publicē

In choro templi majoris declamata

A

MARTINO LENSE

HAGANO

ac materiæ huius metaphraſte.

xiv. Kalend : Octob : clↄ lↄclxxxvii



HORNÆ

Excudebat CHRISTOPHORUS KORTINGH Bibliopola 1687.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 K 192

PROLOGUS,

AUgias Eleorum rex veterrimus utantiquorum commenta ferunt, tribus millibus boum in agris regni ſui per multorum annorum decurſum pabula præbuerat: neque fimum, quem jugiter paſſim excreverant, toto illo tempore maudaverat expurgari. Hinc adeo effectum eſt, ut magna pars agrorum inculta jaceret, et ſterquiliniis ſementem virideſque herbas deurentibus, infæcunditas horrenda terras illas divexaret. Nemo ſordibus iſtis everrendis par ſatiſque potens ducebatur. Tandem itum eſt ad Herculem, qui pretium a rege depactus miro inſue toque artificio uſus Minyei fluminis alveum avertit, ac in loca fimo oppreſſa derivatione facta, brevi tempore absque majori labore fimum diluvio fluminis abluit, etterram reddidit expurgatam. Utinam quoque monumentis oppido multis, qua veterum, qua recentiorum Hercules talis ἀλεξίκακος obtingeret, qui fabulas vanoſque logos, qui apud tam multos ratam fidem reperiunt ex illis Augiæ βουστασίαις id eſt ſtabulis extruderet, tum veritas de falſitate triumphum duceret, & veritatis ſtudioſi lectores limpidis hiſtoriarum fontibus explerentur, nec, quod nunc fere fieri ſolet, cum Ixione pro Junone nubem evanidam complecterentur. Proxima ſolenni declamatione baſiliſcus de gradu dignitatis dejectus, ac *Muſis & Apolline dextro* ad fabulas damnatus eſt. Neſcio an melius quid, atque ſolidius de dracone cenſeri oporteat: de dracone inquam, prout in vulgus doctorum indoctorumque ſparſus eſt, atque non modo ſcriptorum figmentis, verum etiam eorum, qui artem pictoriam ſculptoriamque profitentur, penicillis ſcalpriſque ſic celebratur, haud ſecus ac ſi revera in rerum natura extaret, &, ut cum poëta dicam *aura veſceretur æthorea.* At nos haud abſque prægnanti ratione de eo dubitandum arbitramur, & cauſas dubitandi verſibus aliquot Elegiacis declarabimus, ut deteſtabili nec minus mæſtificæ illi feræ hoc die næniam canamus. Vos modo auditores venerandi, imbecilli meæ ætati gratia facta, ad verba mea mentem attentam, aureſque benevolas advertite.

Horna

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 K 192

HOrna viris armisque potens domibusque ſuperba,
Intus habet binas contiguasque domos,
Gymnaſiis ſimiles veterum, quæ ad bella parabant
Cives pro patrio clara gerenda ſolo;
Arcubus ac tenſis arcte ſic corporis artus
Reddebant habiles arte ferire ſcopum:
Altera vero harum divo ſacrata cuiquam
Ante aliam valde eſt ædificata diu,
Hanc lapis exornat deſectus marmore duro,
Illic quique hodie conſpiciendus adeſt,
Frontem murorum decorans emblemate ſacro,
Ac promtos animos ad fera bella ciens,
Herois formam ſculptor deſcripſit inillo,
Frenum quadrupedis qui moderatur equi,
Armatique probe, galeaque inſignis & enſe,
Haſtam ferratam, qui quatit ipſe manu.
Hanc poſtquam intorſit per corpora dira draconis
Ille aperit rictum, labraque fæda movet,
Extrudit linguam poſt faucibus ille triſulcam,
Horrendo ſonitu ſibilatinde fera,
Ferroque infigit conſtantês ordine terno
Dentes, ſed fruſtra frangere tela parat.
Exſilit interea ſpumans e corpore ſanguis
Exuitur vita, fataque dira ſubit.
Inſignis palmæ pretiumque Georgius aufert
Inſcribi faſtis, divûm & honore coli.
Ordinibusque ſacris nomen præfulget eorum,
Qui ſe propatriâ Martia ad arma parant,
Vel ſe Chriſtiadum prorelligionis honore
Immittent pugnæ, quando erit illud opus.
Non operæ eſt noſtræ ruere atque refellere dictis
Illos qui cenſent hiſtoriam eſſe probam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 K 192

Quæ fertur paſſim de tanti morte draconis
    Anguis monſtroſi terrificique feri,
Heros magnanimus celebrisque Georgius olim
    Dicitur eximiam cui properaſſe necem.
Quanquam non dubÿ ferimur, quin ficta Legendæ
    Fabula protulerit non ſine fraude virum,
Quem terris nunquam natura oſtendit, & omnis
    Hiſtoriæ ignorat non reticenda fides,
Qui prorſus poterat per ſæcula nulla latere
    Scriptorum, res ſi geſta fuiſſet ea:
Aſt id conamur tales non eſſe dracones
    Dicere, quos ſtulte credula turba putat,
Credula turba hominum pingendi quidlibet arte,
    Auſorum, aut ſcalpro ſcalpere quæque ſuo,
Vel qui compilant ſcriptorum ſcrinia quævis
    Atque edunt magnos cum levitate libros,
Nec ſunt experti quod ſcribunt, falſa ferantne;
    An vera, aſt dicunt ſicuti ſcripta legunt,
Vel qui mirantur figmenta poëtica multum,
    Queis ac pictori fingere quæque licet.
Divinus Flaccus vatum ut decantat in arte,
    Quod pretium recte verſibus atque putat,
Vel quibus ignotum eſt olim quam prona vetuſtas
    Fingendo fuerit ſymbola quæque ſibi,
Quæ rerum ſane nunquam natura ferebat,
    Lumine nec quisquam viderat ante ſuo:
Aut affingendo veris figmenta, perinde
    Ac ſi pro fictis omnia vera forent,
Ut dictis melius mores perſtringere poſſent,
    Qui mortale genus dedecorare ſolent.
Nam veſtigatur mundi nunc angulus omnis,
    Terrâ, ſeu ratibus per freta nigra volant,

Dum

Dum deſcribit iter, chartis creditque viator,
Divulgatque typis, quæ nova vidit ibi,
Non hunc ſuſtinuit tamen exhibuiſſe draconem,
Qui faceret greſſus quadrupedante gradu;
Atque ungues uncos pedibus præferret acutis
Ut velox tigris, terribiliſque leo:
Ac cui cauda foret ſinuoſa volumina torquens,
Et pectus porci, collaque firma canis,
Cui caput argutum, viſu flammante, feroci
Armatum criſta, quæ rubicunda foret,
Undique penderent palearia ſquallida mento,
Cui aures rectæ, turgidaque ala duplex.
Monſtrum mirandum vel quali forte figura
Deſcribunt alii, ſed levitate pari:
Hic etenim variant ſcriptorum dicta priorum
Tam male, ſi recte judico quæque ſatis,
Quam qui deſcribunt baſiliſcum nomine tantum
Extantem vero, cætera inane nihil,
Terrorem pueris ſolum, ſapientia quorum
Vel non eſt major, quam pueri eſſe ſolet.
Aſt hodie eſt multo ſcriptor ſapientior omnis
Qui, cum ſerpentes narrat, eosque notat,
Hunc ſilet, & verbum de Principe non facit unum
Serpentum prudens, nam fore turpe putat,
Deturparet opus verum ſi fabula ficta,
Et gerris Siculis deteriora daret:
Scriptori tali facerent quæ deinde pudorem,
Loturâ nullâ qui lueretur aquæ.
At loca deſignant priſci ſine fronte libelli,
In quibus alatus peſſimus ille draco eſt,
Sed loca vicinis non occurrentia terris,
Aſſidue pedibus vel quæ homo forte premit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 K 192

Verum Indos Gangemque amplum , qui ſeparat illos
In binas partes , regnaque lata ſecat.
Æthiopasque nigros tum tantum nomine notos ,
Umbra ubi nunc præſens nulla draconis ineſt.
Vel ſi commemorent loca non diſtantia longè,
Hiſtoria antiqua eſt annumeranda logis ,
Tamque propinqua viris habitis heroibus olim ,
Quos paſſim vatum carmina priſca crepant,
Ut , velut heroes nil ſunt niſi nomina vana,
Cuſtos ſic aurei velleris ille draco ,
Heſperidumque acer tutor mirabilis horti
Qui ſemper dominis aurea mala dabat ,
Et , qui non meritis comitatur honoribus illos
Libros qui fidei ſunt operumque canon ,
Æternæque tenent vere monumenta ſalutis ,
Ordine cenſeri debeat ille pari.
Nam nullo poterit , Perſas , ſcriptore probari
Anguibus , atque alii , ſacrificaſſe malis.
Quidnam igitur verum eſt,non eſt draco & hactenus omnes
An mentes hominum luſit imago modo ?
Dicam quod res eſt , draco non eſt fabula verus ,
Serpentis ſpeciem non tamen ille facit ,
Quæ diverſa foret natura , exiſteret atque
Per ſeſe in terris beſtia multa nocens.
Namque draco primo generatim dicitur omnis
Anguis , quod mirum viſus acumen habet.
Dein coluber proprie & ſpeciatim, degit in antris
Qui terræ aut domuum , quas male ſtravit humi ,
Vel manus hoſtilis , fregit vel longa vetuſtas,
Eſt draco , non alius , credite quæſo mihi.
Non autem quivis , longo ſed tempore vitæ,
Qui mire excrevit grandia membra fovens ,

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 K 192

Et cuicumque viro crudelia fata minatur ,
Ac circumſpiciens cuncta timore replet.
Hinc illud dictum celebratum tempore priſco ,
Non draco ſit ſerpens lumine torva minans ,
Antea ni multos hic deglutiverit angues ,
Inque auctus vaſtos creverit inde fera.
Talis erat draco , quem monſtravit cæſar in urbe
Auguſtus quondam , plebe ſtupente diu.
Adferri poſſent huc exemplaria plura ,
Aſt ego navigii contraho velamei ,
Quamque ſumus certi veros hos eſſe dracones,
Affingunt queis tot prodigioſa rudes :
Tam placide petimus , quorum ſapientia major
Eſt , grave ne ſcripto ſit meliora dare ,
Atque erit his noſtrum grates perſolvere dignas ,
Et nobis illi gaudia vera ferent.

CECINI.

Ingenuo, magnæque ſpei juveni

D°. MARTINO LENSE,

Cum ſtudiorum trivialium ſumma publicè
perorato carmine condecoraret.

SI, quando bene ſunt fundamina jacta, perennis
Machina conſletur ; quanta hunc ſapientia rerum ;
Quanta quidem doctrina manet ? qui totus inhæſit
Huic uni , ut Latiæ bene , Cecropiæque Minervæ
Ar-

Artibus imbutus coleret cæleſtia ſacra
Muſarum, faceretque viam, quæ tramite tuto
Ducat ad ingenuas artes, turbamque Cleanthis.
Sed iuvenem ſatis acta probant. Quid verba neceſſe eſt,
Promere? Mireris mentem, ſi ſcripta legantur,
Quêis tam falſa palam ponit figmenta draconum.
Mirere eloquium, ſi terſæ gratia linguæ
Spectetur, quâ ficta refert, docteque tremendum
In cathedra Lernæ monſtrum ferit Herculis inſtar.
Iam tu LENSE paras aditum ad loca clara Lycæis,
Quæ poliunt hominum mentes, ubi plena redundat
Copià doctrinæ. Verum quoque creſcit amænus
Lotus ibi: ſed ne guſta. Mens alta repoſcit
Tanta tui, cui magna placent, cui vilia ſordent.
Sis gnavus ſtudiis, ſis indefeſſus agendo
Segnitiem fugiens. Sic patrem, aliosque propinquos
Lætitiâ implebis, ſic et tibi proderis ipſi,
Teque colent docti, Mecœnatesque favebunt.
Macte animo MARTINE tuo, ne parce labori;
Quo pede cæpiſti, ſic pergito; perge ſophiſtas,
Et quicunque volent commenta obtrudere nobis,
Hos, inquam, tu perge palam convincere falſi,
Ut tandem fraudes pateant; mendacia cedant
Sinceris; et ſic de falſis vera triumphent.

Honoris et amoris ergò

Succinui

HOBIUS vander VORM Filius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 K 192

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 K 192

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 K 192

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 K 192